

Q.K.  
515  
36.

ORATIO SOLLEMNIS

DE

LAVDABILI IN SCHOLIS

ATQVE

GYMNASIIS DOCTORE

QVA

CONRECTORIS

IN ILLVSTRI RVTHENEO

MVNVS


CLEMENTISSIME SIBI OBLATVM

PRID. KAL. NOV. A. R. G. clb Idcc XXXVII.

AVSPICATVS EST

IO. GOTTF. HAVPTMANN

A. M.



LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



ORATIO SOLEMNIS  
DE  
LAUDABILIBUS IN SCHOLIS  
ATQVE  
GYMNASIIS DOCTORE

CONRECTORIS

CICERO L. II. de divinat. statim ab init.

Quaerenti mihi, multumque et diu cogitanti, quam re possem prodesse  
quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla maior  
occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem.

IO. GOTTFR. HAFFTMANN

M. A.

ER OFFICINA LANGENHEIMIAN.





CELSISSIMIS COMITIBVS  
AC DOMINIS  
IVNIORIS LINEAE RVTHENIS  
DOMINO HENRICO XV.  
SENIORI TOTIVS STIRPIS  
DOMINO HENRICO XXV.  
DOMINO HENRICO I.  
ET  
DOMINO HENRICO XXIX.  
COMITIBVS AC DOMINIS A PLAVIA  
DOMINIS IN GREIZA CRANNICHELDA GERA  
SCHLEIZA LOBENSTEINIO CET.

DOMINIS SVIS  
ILLVSTRISQVE GYMNASII STATORIBVS  
INDVLGENTISSIMIS



PRO  
EMINENTISSIMA NON SOLVM  
IN MVNERE CONFERENDO CLEMENTIA  
VERVM IN IPSA ETIAM ORATIONE  
AVSCVLTANDA GRATIA  
PRIMVM  
HOC IDEMQUE LEVISSIMVM DEVOTISSIMAE  
ATQVE OBSEQVENTISSIMAE MENTIS  
DOCUMENTVM  
EXHIBERE VOLVIT

AUCTOR





F. D. F.

CELSISSIMI COMITES  
DOMINI CLEMENTISSIMI

INSPECTORES SVMME VENERANDI  
MAECENATES ILLVSTRES GENEROSISSIMI  
PRAESTANTISSIMI

CETERI AVDITORES OMNIVM ORDINVM  
HONORATISSIMI CARISSIMIQVE.

**N**olite, supplico, dum primam, eam-  
que optatissimam, in illustrissimo et  
splendidissimo confessu vestro, dicen-  
di occasionem nanciscor, magnam  
doctrinarum atque eloquentiae osten-  
tationem exspectare; nolite vberta-  
tem ingenii, et suaviora verborum lenocinia, postu-  
lare. Id mihi considerandum sumsi, quod, gratia  
qui-

A 3



quidem et nouitate destitui, sciueram; ad rem vero quam maxime pertinere arbitrabar. Clementissima, quae demississime veneror, mandata, hunc me locum conscendere; publiceque docendi prouinciam fuscipere, voluerunt. Quid igitur initio conuenientius; quid magis mihi necessarium esse poterit, quam meam, de laudabili in scholis atque gymnasiis doctore, sententiam, summorum sapientissimorumque hominum, immo ipsorum praecipue **DOMINORVM**, iudicio subiecisse, et, de munere obeundo, antea quasi, quam intactum hucusque opus, adgrederer, rationem reddidisse? Tam graue hoc argumentum esse sentio, vt nec praefationi locum relinquat; sed omnem statim mentem, omnem cogitationem, rapiat, vt ita loquar atque in se conuertat. **VOS** autem, **DOMINI, INSPECTORES, MAECENATES,** Aque **O. O. H.** succurrite, gratia et beneuolentia vestra, laboranti, ac singulare istud, prolixioris erga me voluntatis, documentum exhibete, vt, longanimitate **VESTR**A et patientia, inbecillitatem atque infantiam toleretis meam.

Dum scholasticum munus adpello, rem praestantissimam, sed, cum insigni pariter difficultate, coniunctam, nuncupare mihi videor. Quanta, quaeso, in personis, in rebus, in ipsis denique impedimentis, grauitas atque molestia comparet? quam Hercules labor est, ex feris mansuetos, ex rudibus eruditos, ex pessimis optimos facere? Perpendite tantum, **AVDITO-**



**DITORES**, durissima, quae in scholis mitescere,  
 ferocissima, quae patientem disciplinae aurem accom-  
 modare debent, ingenia. Quis est, quem, non ad  
 mala praecipitem atque inclinatum, finxerit natura?  
 quis velox est ad bonum, neque ineptus? Maxime  
 omnium, pueris illud atque adolescentulis declaratur,  
 quorum tenellam aetatem, ratione nondum subactam,  
 robustissima saepe, et propemodum incredibilis, per-  
 uersitas occupauit. Immo vero si quos etiam in-  
 doles non corrupisset, exempla perderent: si stra-  
 ram ad virtutes viam genius demonstrasset; antece-  
 dentium caterua seduceret. Rem nullis lacrimis  
 digne desendam! caput sunt decipientium parentes.  
 Vitiosus iste amor, siue odium potius, quae filio pa-  
 rata est, felicitatis infensissimum efficit, vt, laeuis, de-  
 licatae mentes, blanditiis, prauis exemplis corruptae,  
 sterilecant. Crescunt sensim minuta, et, quae digi-  
 to euellere potuisses, postquam radices egerunt, vix,  
 ac ne vix quidem, commouebis. Quid iuuat Nero-  
 nem Senecae disciplina, postquam apud Lepidam  
 suam, tonsor eundem atque saltator corruperunt?  
 Nonne Macedonum isto in Alexandro, tot terrarum  
 partibus superatis, quae puer contraxerat, vitia re-  
 manebant? Habet hoc ipsum, ad magna praefertim  
 natus, animus, vt semel corruptus, lappas, carduos,  
 tribulos, infelixque lolium eo copiosius protrudat.  
 Hic Rhodus! hic, quantum polleat labor, experien-  
 dum est! auxilia ferri debent parentum educationi,  
 quae



quae nimius eorumdem amor, quae negligentia, quae  
 inperitia peccarunt, vel ipsis inuitis, corrigi atque  
 emendari, sterilemque in animum virtutes inplantari.  
 Quam varia reperitur, in erudiendo, via? calcaribus  
 ille, hic frenis indiget, iste laudibus, alter vitupera-  
 tione, est adficiendus. Vidi, quos perdidit indulgentia,  
 quos iuuerit, haud ignoro. Non maior habetur  
 eorum numerus, quorum, praeceptoris seueritas  
 coërcuit petulantiam, quam eorum, quos a litterarum  
 studiis, deterruit omnino atque remouit. Ex-  
 celsa sane arduoque in saxo templum sapientiae col-  
 locatum fuit, angusta ianua, lubrica nisi et ambigua  
 via, vbi labuntur quidam, alii errant, serpunt multi,  
 non nulli vadunt, paucissimi volant; quos tamen  
 omnes ducere, quibus singulis iter ostendere debet ma-  
 gister. Quam scite et sapienter hic est versandum?  
 quam varia sunt callenda, ne pueritia statim erroribus,  
 ac peruersis opinionibus, inbuatur? Iam sacra sunt  
 tractanda studia, et, eo maiori cum cautione, tractan-  
 da, quo magis, a virtutibus, leuissima iuuentus abhor-  
 ret, et, quo altiores radices agunt, quae mollibus eius  
 modi animis infiguntur, haereses: iam linguae sunt  
 excolendae, adfiduitate et constantia, non minori  
 cum taedio, quam vtilitate, coniunctis: iam eloquen-  
 tiae nauanda est opera, nunc poesis auspicanda, iam  
 philosophia, in compendio, proponenda. Tam di-  
 uersa, tam seiuncta, non vno singulis modo sunt in-  
 culcanda, sed, difficillimo selectu instituto, ex fine  
vni-



vnus cuiusque curiose considerato; cum scholae alioquin, non vitae, discatur. Quid vero, si impedimenta respexerimus? Nonne, ab infensissimo humani generis hoste, iuuentutis cultura, qua salus nititur mortalium, iniquissima mente toleratur? nonne ipsos sunt inter homines male feriat, quibus ingrata fortassis accidit praeceptorum disciplina, vnde fieri solet, vt, ludibrium postea et contemptum in eiusmodi viros effundant; cuius etiam non infimam causam esse arbitrator, quod, qui iuuentutis commodo student, in vltimum saepe honoris locum detrudantur, et difficillimi eorundem labores, tam curto stipendio compensentur, vt, vel ipsa egestas, despectui faciat locum. Quot accedunt praeterea iniquiores, quibus subiectissimus semper fuit ordo noster, iudices? Lenitatem vituperant alii, alii seueritatem accusant, alii doctrinam carpunt, disciplinam ceteri contemnunt, qui tamen primo vix momento rem contemplati, quid ipsi sibi velint, ignorant.

Quae, cum ita sint, laudabiliter in scholis versari laborans, non doctrinam solum, diligentiam, docendique promptitudinem prae se ferre, sed pietatem etiam ac virtutem demonstrare, prudentiam maxime in promptu habere, patientia clarescere, constantia pollere debebit.

Doctrina primum atque eruditione conspicuum esse decet magistrum. Quicumque enim, non nisi vltra primas litteras progressi, falsam sibi scientiae persuasio-

B

nem



nem induerunt, stultitiam suam perdocent, plusque omnino corrumpunt, quam emendant. Quem ad modum architectus, in designandis fundamentorum lineis, omne sibi proponat aedificium necesse est; ita qui rei publicae, ut ita loquar, sua templa, sua palatia fundat, regulas omnino artis offendet, nisi totam sibi conceperit structuram. Qua, quaeso ratione, Croesi diuitias erogabit, Iro pauperior? ornamenta largietur, Liberide nudior? quo modo exercitui praerit, qui vix inter gregarios locum meretur? ad clauum sedebit, qui, nec mare vnumquam est expertus, nec ventos obseruare didicit? Anne aliter comparatum est cum eruditorum ciuitate? Num historicum praeclarum Volusius aliquis dabit? oratorem Sabinaeus aut Rufus producet? num Choerilus poetam, dialecticum Cronus exhibebit? quales tandem de Philonidis schola philosophi prodibunt? Quid multa? qui non exquisitam vllam atque reconditam, sed circumforaneam tantum, haustamque de triuiis et circulis, possidet sapientiam, fumum propemodum vendet, inanibusque paleis rem iuuentutis amplificabit. Numquam coecus coecum laudabiliter duxit, numquam inter litteras hospes commodam eruditionis viam demonstrauit.

Dixerit autem non nemo: amplissimum habemus studiorum campum, vbi nusquam reperietur, qui vbique versari cupiet. Quo modo igitur omnes adsequi poterit litteras, qui omnium tamen rudimenta tradere debet? Mansit hic, fateor, inter praecipuos scho-

scho-



Scholarum errores, vt, ad omnia instillanda, omnes adigantur magistri; at tamen, et iste prudentia corrigetur. Sunt enim, inter ea, quibus inuenda est iuuentus, magis quaedam, alia minus necessaria; sunt, quae primario, vni alteriue incumbunt, et, quae non tam grauius premunt; sunt, quae omnibus, et, quae non nullis solum, conueniunt discipulis; sunt, quibus alii excellunt collegae, et quorum inopia laborat gymnasium. Ita vero, postquam primas eruditionis vniuersae lineas duxit, praeceptor iis potissimum instructus esto dotibus, quas munus sigillatim suum, ac praecipua studiosae iuuentutis egestas requirit.

Quoniam autem, nisi muneri admotus, ignorat plerasque, et, quoniam supplementa quotidie postulat eruditio, diligentiam accedere decet atque assiduitatem perpetuam. E cerebro Iouis, Mineruam, protrahere, non nisi Vulcanum potuisse, finxit Lucianus. Quid ad sapientiam in iuuentutis animis excitandam, hominumque admirationi sistendam, magis valebit, quam indefessus labor, Vulcanoque digna sedulitas? Quicumque igitur discipulorum magni faciunt curam, non multis libris scribendis vacare, non societatibus quotidie ac paratis epulis interesse, non otio abundare, non genio litare, non magnam praediorum copiam, nimiamue rem familiarem contrahere poterunt. Agros pagani colant, bibliothecas otiosi conscribant, conuiuia nihil agentes frequentent. Habet, cui studeat, magister, habet pubem, pro cuius incre-



mentis, non vna tantum vel altera hora, non integris solum diebus, est inuigilandum, sed, in multam haud raro noctem, cura protrahenda. Rite autem id ipsum, nisi mirifice fallor, peragetur, si quidem, omnem in hoc ipso curam, omnem sollicitudinem collocabit, vt, non rationem solum erudiendi, verum res etiam edocendas, assidue inuestiget, atque id potissimum ediscat, quod, ad generale iuuentutis commodum pertinebit. Inprobo doctorem, qui, moribus, vtraque lingua, eloquentia, poësi, relictis, Arabicas, Persicas, Turcicas excolit litteras, Rabbinorumque fabulas et subtiliores philosophorum controuersias amplectitur. Neque vero etiam ad illius sententias accedo, qui nil nisi Graeca crepat; hanc solum linguam laudat, Romanam et nostram contemnit, hanc solum poësin commendat, Latinam atque Germanicam susque deque habet. Ita nimirum necessaria et magis laudabilia saepe ignorantur, cum, haud necessaria, minus vtilia didicerimus. Non is sum, qui Graecorum spernat eruditionem; noui quantus hic thesaurus lateat, expertus sum, quid Homerus, quid Plato, quid Aristoteles, quid Demosthenes, polleant ad litterarum incrementa. Sed, in spem venturae obliuionis, aliquid inculcare, id exigere, quod vix vni atque alteri prodest, plurimis detrimentum adfert, id est, quod, qui rem altius ponderabit, probaturum existimo neminem. Cur non potius historia discitur, si tantum, Graecorum poësi, spatium superat? cur Latinus, prae Graeco, negligitur stilus?

Dicam,



Dicam, quod sentio, **AVDITORES**, scriptorem Graecum, ab vno quoque studiosorum, intelligi vellem; quod superest, non publicis, sed priuatis, scholis, reseruandum esse arbitror, in publicis autem, huius locum, sanctior disciplina, historia, exercitatio stili elegantioris, doctrina morum, naturaliumque legum, et alia plura, quae, nescio quo fato, adeo negliguntur, occupare debebant.

Sed, redeamus, e diuerticulo, in viam. Nondum conficiet eruditio, nondum adfiduitas probabilem in scholis doctorem: verum, accedat, oportet, docendi promptitudo, ita quidem, vt alacritas adsit, sine taedio, perspicuitas sine nugis, sine obscura leuiorique tractatione, breuitas, et gratiosa grauitate, quaecumque proposuerit, eius modi doctor, condiantur omnia. Multi profecto, de iuuentutis institutione, speciosissima facere verba possunt, qui vero, si gubernacula, vt ita loquar, capeffere ac naues tractare deberent, classem omnino, in ipso portu, mergerent. Sunt, et sunt re vera, eruditi, qui, quae didicerunt, pandere lingua nesciunt, nec desunt, qui audent quidem, sed, facultate, ordine atque modo neglectis. Alii, insigni cum naufragio, volare praecipites, non cursum tenere laborant; alii grammaticorum tantum morati tricas, ad scopum numquam perueniunt, alii tandem, ventorum turbine, continuis fluctibus, agitati, eandem saepius viam metiuntur. Noui, qui, vt otium nanciscerentur, quas ipsi instituere debebant, praelectiones,



Etiones, in meras puerorum recitationes conuertunt, eorumque discipulos adpellare possem, qui grammaticas, logicas, rhetoricas regulas ad vnguem callent, ne pagina quidem, quo vtuntur, exempli deficiente, et nihilo minus tamen tria vix verba componere, argumentum formare, ambitum exhibere, didicerunt. Anne vero, eo sic redigentur animi, vt frigeat tandem diligentia, quando locus ille, vbi otio litterario indulgemus, in memoriae saltem ergastulum peruertitur. Reperimus fateor in historiae praesertim linguarumque studiis, ediscendo demum comprehendenda; sunt vocabula, sunt formae vocum, sunt regulae, quae, recordationis in thesauro reponantur, oportet; sed, sensus et iucunditas ne absit, neque, quatenus, in hac aetate locum habet, iudicium desideretur. Poterit nimirum et iste gratiosus fieri apud discipulos labor; quod, qui non solum nouerit, verum etiam exercuerit artificium, satis superque demonstrabit, quantum aptam inter atque ineptam docendi rationem interfit. Peculiaribus autem strategematibus opus est, prouidentia requiritur haudquaquam proletaria, per cuniculos finis est quaerendus et pia quasi fraude vtendum, si quando taedium irrepere satietasque auditorem capere velit. Ita, vna fidelia duplex haud raro paries dealbabitur, et, dum, alia saepius idem fericulum lance proponemus, id simul efficietur, vt, ante quam tepere possit medium, initia semper feruere deprehendantur.

Tanti



non. Tanti sunt haec singula, vt humanas longe vi-  
res excedat, omnibus se aptum exhibere muneribus.  
De caelo igitur vocanda erunt praesidia, et pietate  
consequenda, quibus laborum fructus nituntur. Pie-  
tas mater est omnium virtutum; pietas actionum  
Christianarum regina, sine hac ipsa, nihil valebit co-  
natus, irritus erit sudor, in vanum abibit assiduitas.  
Iure quondam suo, ab vno quoque praeceptorum re-  
quisiuit Plutarchus, vt vita sint inculcata, vt mori-  
bus non reprehendendis, vtque experientiam prae fe-  
ferant omnino singularem. Exemplum haud raro  
plus destruit, plus aedificat, quam ipsa doctrina. Quid  
turpius est doctore, quam, si culpa eundem redargu-  
at? quid magis noxium iuuentuti, quam, si magi-  
strum, ad lapidem, quem tamen vitandum esse do-  
cuerat, impingere spectarint. Imitatores profecto di-  
ligentius, quam auditores, praebebunt adolescentes.  
Scapulas Plato subducit, balbam habet Aristoteles lin-  
guam, studiis Latro pallefcit, eadem ratione disci-  
pulos constat fuisse comparatos. Verbo: praece-  
ptoris ad exemplum totus facile coetus componi-  
tur. Splendeat igitur eiusdem pietas, radios emit-  
tant virtutes, vt auditoria eius modi nitore coruscant,  
vt, in hac luce, ambulent commilitones.

Quem ad modum vero, sine notitia, vana, ita,  
sine prudentia, irrita erit pietas. Praecipue, isthaec  
virtus, sicubi opus est, in scholis versari debet,  
quas nihil adeo corrumpit hodieque peruertit, quam  
male



male cauta et flagitiosa temeritas. Equidem non defunt, qui, scholam a vita rescindentes, meram hic loci notitiam sufficere arbitrantur. Quae, si ad Orbilios pertinet, qui, vocabulis sine sensu recitandis, erroribusque cum immenso furore castigandis, non mentem atque ingenium, sed brachium et praesentiam, inpendunt, tolerari poterit, sententia. Sed, quam longe abest eius modi praeceptor a vero educationis scopo! Vitae umbraculum schola est, ubi, ad prudentiam, prudenter duci debet iuuentus. Prudentem itaque se gerere debet magister ante omnia in auctoritate et caritate sibi conciliandis. Temperanda erit cautius cum seueritate lenitas, cumque timore amor miscendus. Omnes reprehensiones, omnes castigationes, ita sunt instituendae, non, ut iram, animumque concitatum, prodant, sed, ut, vnum iuuentutis commodum respici, manifestent. Haud dedecus semper atque traductio, haud conuitorum agmina, rudes poliunt atque agrestes. Preces saepe plus valent, quam minae; humanitas vincit seueritatem, comitasque rigorem. Accedat, necesse est, accurata suorum exploratio, ut salutem adolescentibus non polliceri, sed offerre, detrimentum non ostendere, sed corrigere possit. Minime scilicet, ut feminis lanam trahentibus, ita magistris iuuentutem formantibus, eadem semper oberrare chorda, licebit. Quot ingenia reperiuntur, tot diuersa erudiendi consilia debent adhiberi. Alii sponte



sponte officium faciunt suum, alii remissiores, laude, adhortatione, exemplis concitantur. Non desunt, qui multa simul addiscere gaudent: ceteri vero vix duabus curis sufficiunt. Saepe, quos hodie nullum calcar litteris colendis adduxit, cras volare videmus ad libros, ut frenum mereantur. Contra etiam, qui paullo ante, in virtutis stadio, primas tenuere partes, mox in vltima vitiorum sentina residebunt. Quam eximiam requirit prudentiam in tanta iuuenilis aetatis varietate, totque in vicissitudinibus, suis quodlibet ingenium legibus circumscribere, suis stimulis excitare. Quodsi enim in horto suo Lipsius, in coenaculo Puteanus leges ferendi prudentiam demonstrarunt; quanto magis, qui rei publicae viridarium adornant, qui Platonicas eruditionis epulas instruunt, laudabilibus voluntatem cancellis includendam curabunt? Sed, quid ago? tot sunt prudentiae scholasticae modi, ut dies me forte, si, in iisdem altius peruestigandis, versari vellem, et lingua deficerent. Taceo igitur Maecenates atque patronos, quorum cautissime seruanda erit gratia; taceo socios atque collegas, quorum beneuolentia atque existimatio circumspectius adliciendae; taceo ciues et peregrinos, quorum iudicia tam diuersa, tam haud raro iniqua curiosius temperanda.

Rapiunt me potius, in sui contemplationem, quae vtramque hic paginam facere solent, patientia atque constantia. Quid enim? an non institutio iu-

C  
uentu-



uentutis, per se tantum modo spectata, plena est sollicitudinis ac stomachi, plena improbi laboris perpetuaeque molestiae, plena inuidiae et calumniarum, vnde, amaras esse litterarum radices, singulis fere momenti experti, mirificam patientiam adhibere debent, doctores. Instar habet educatio agriculturae. Rideretur paganus, qui, postquam semina proiecit, et vix vnam alteramque noctem exspectauit, animum statim despondens, agrumque suum deserens, omnibus perditum laborem diris deuoueret. Sudor in scholis profusus, opera ibidem deuorata, in fumum initio ac ventum abiisse videntur. Contemnitur ac ludibrio propemodum exponitur magister, furdus auribus enarrantur, iniquissimis saepe animis hauriuntur, praecepta, et, quod grauius istis, serpens non nunquam in gremio nutritur. Anne igitur manum retrahere? anne sterilis atque vanae cathedrae poenitere? anne curam abiicere licebit? Minime vero gentium. Crescet inter tribulos triticum, multiplicique fructu operam compensabit. Saepe, qui diu haesit, postea currit. Nullis igitur monitis, nullis animaduersionibus parcendum, indulgenter haud raro versandum est, si quando stupidius quoddam ingenium doctrinas sexcenties inculcatas, tamquam aquas petra, transmiserit. Quanta patientia vtitur artifex, de trunco ficulno, atque inutiles, quod visum fuerat ligno, elegantissimam hominis figuram formaturus! nonne multo maiorem adhibere debet magister, qui efficere cupit,



cupit, vt tanta species cerebrum etiam habeat, vt mortal-  
 talis, inquam, naturae ductu, non nisi truncus, immo  
 vera atque immanis bestia, mentem possideat, ratio-  
 nisque subiiciatur mandatis? Et fac, operam atque  
 oleum perdidisset; sufficere animum liberasse, sufficere  
 praeclare actorum conscientiam retinuisse. Citius,  
 equidem haec omnia dicuntur, quam peraguntur.  
 Immo vero, nihil tam graue esse iudico, quam il-  
 lud ipsum praeceptoris officium. Mitigabitur tamen  
 eiusmodi difficultas; quando, post indolem vnus  
 cuiusque accuratius peruestigatam, quam mollis sit  
 iuuenilis aetas diligentissime perpenderit, quam  
 varia forte in culpam incidere possint, sedulo cogi-  
 tauerimus, et, nimio animi calore suppresso, terrenam  
 mercedem despexerimus, suspexerimus contra  
 caelestem.

Habetis hic, **CELISSIMI COMITES,**  
**VENERANDI INSPECTORES OPTIMI**  
**MAECENATES** A.que O. O. H. exiguam lau-  
 dabilis praeceptoris imaginem, quam, si iudicio **VE-**  
**STRO** probaueritis, semper intuendam praefumo.  
 Magnum, fateor, est promissum, difficillimus conatus,  
 audacem vero **DEVS** ipse iuuabit, conantem **DO-**  
**MINORVM** clementia eriget, patronorum bene-  
 uolentia sustentabit, iussa atque monita confirmabunt.  
 Cum Palladis simulacrum in curru posuisset Pisistra-  
 tus graciosus accessit apud Athenienses. **VESTER**  
 mihi nutus, **DOMINI**, gratia atque adprobatio **VE-**  
 C 2 STRA



**STRA** pro Palladio erunt, quo tectus, eo optatior in hoc illustre lyceum veniam, eo lubentius retinebor, cum, non faeuus tyrannus, verum mitis atque beneuolus animorum altor, accesserim. Et hoc est, quod non spero, sed plenissima fiducia, exspecto. Accedat tantum exspectationi benignissimum **NVMEN**, cuius mirabilem prouidentiam, in me figillatim collocatam, hac etiam hora, celebros, semperque consecratissima mente venerabor.

Seruet ille summus omnium rerum parens **CELSISSIMOS HVIVS GYMNASII NVTRITORES, COMITES AC DOMINOS MEOS CLEMENTISSIMOS.** Fortunet prouidentissimos **ILLORVM** conatus, sapientissimas consultationes, incluta praesertim, quae iam celebrant, comitia. Cedant in **EORVM** gloriam, in **ILLVSTRISSIMARVM DOMVVM** aeternitatem, in Ruthenicae dititionis celebritatem, quaecumque hic statuentur atque perficientur, omnia. Redeant etiam in **AVGVSTVM ILLORVM SINVM** fructus curarum ac munificentiae copiosissimi, ut vegetos, gloriosos, felices vltimi nepotes venerentur. Perstet vita, perstet sanitas, perstet pax atque securitas, neque, qui imperet vumquam, qui consulat, qui commodum vtriusque percipiat, desit. Haec sunt, **DOMINI**, quae, singulis diebus, a **DEO** flagitabo: haec sunt vota, quae, cum accuratissima obedientia, pro tantis beneficiis, suscipiam, nuncupabo, soluam.

Neque



Neque VOS postulatis aliud, neque ego rependere possum, quibus me totum iure meritoque subiectissimum praesto. Tanti etiam illa ipsa facio, ut ad perpetuam VESTRAM gratiam et clementiam largiendam haud exiguam inuitationem esse velim. Tueamini, si me dignum inueneritis, quem, peregrinum, ciuem esse voluistis. Illustretis, supplico, eminentissimo splendore humillimos atque umbratiles nostros conatus et praecipuos hac ratione demississimis mentibus igniculos subiiciatis. Nulla erit tam furda posteritas, nulla tam ingrata fama, quae non in caelum debitis laudibus paternam eiusmodi curam atque clementiam euehat: quam diu suus eruditioni nitor, sua gloria constabit, erunt atque coruscabunt, quae porro etiam litterarum in doctores inque gymnasium vtilissima prouidentia inpendet laudabilis cura largietur.

Vos pariter mihi compellendi estis, MAECENATES, figillatimque GYMNASII INSPECTORES VIGILANTISSIMI, quorum in me collocatam fiduciam, aeterna deuinctissimi adfectus sollicitudine venerabor. Semper spiritus meus ex VOBIS pendebit, PATRONI, semper sacris atque suspiciendis tantorum virorum mandatis traheatur voluntas. Nutus VESTER mihi in regulam, desiderium in delicias, gaudium denique in plausum et congratulationes, abibit. Nosti, quod omnia exploras, curiosissimum NVMEN, intimos nosti huius  
 C 3 animi



animi motus! accede proposito, concede vôtis meis, adtende ad demississimas ardentissimi pectoris supplicationes, inple PATRONORVM animum DIVINA, qua gaudes, sapientia, corpus adfice vita, viribus, sanitate, cumula domos fortuna, laetitiis, gloria, perennitate; ne his vñquam regionibus, ne vrbi, ne gymnasio desint, qui, ad paternam auitamque famam grassati, providentissimis omnia curis extollant. Quid vero de hoc ipso loco, deque muneris functione, dicam, cui me omnesque conatus meos addico. Iterum, iterumque VOS testor, quicumque, de officio doctoris scholastici differentem, audiivistis; exigite doctrinam, exigite vitam meam, ad Lydium eius modi, nisi displicet, lapidem, monete, castigate, cupidum semper emendationis, dictoque audientem, habebitis. Sollemni ritu profiteor, quod nihil mihi prius, nihil antiquius erit, quam illud ipsum cupidius haurire, illud ipsum alacriter exequi, quod ad incrementum meum, gymnasiique florem pertinebit.

Vos autem, COLLEGA E, quibus, postquam singula etiam bona precatus sum, sincerissimo semper adfectu, me consecratum fore, polliceor; VOS, inquam, sustinebitis inbecillum. VESTRA, SENIORES VENERANDI, consilia, VESTRA, iuniores, opera, id semper intendent, vt vis vnita fortior euadat, vt, animis studiisque coniunctis, gloria diuina publicumque emolumentum eo ardentius promoueantur. Exemplum sigillatim TVVM in  
oculis



oculis feram, **RECTOR CELEBERRIME**,  
 et peculiari prorsus efficiam nisi, ut, quem colle-  
 gam nactus es, tam cultorem, quam aemulatorem  
 virtutum **TVARVM** habeas. Cures tantum vna-  
 nimes eius modi conatus, et consiliis **TVIS**, beneuo-  
 lentia, sinceritate, ardorem meum, studia atque vi-  
 giliis, sustentas.

Neque vos nihil agetis, discipuli, sed pietate,  
 virtute, modestia, diligentia singulari, vestra ipso-  
 rum commoda, vestrosque honores promouebitis.  
**Quam** belle cadet gymnasium nostro! si quidem pia  
 doctorum eruditio et laudabilis civium diligentia,  
 prudens illorum assiduitas, horum amabilis obe-  
 dientia, comis illorum humanitas, horum officiosa  
 existimatio, de palma quasi et praerogativa certa-  
 bunt. Imaginor iam, et voto quasi praecipio, au-  
 reum eius modi huius gymnasii saeculum, quo con-  
 cordia res nostra crescet, doctrina illustrabitur, pie-  
 tate atque prudentia stabilietur. **Quam** laeto gres-  
 su limina isthaec scandent doctores pariter atque  
 alumni, si, gratia diuina fulciente, clementia **DO-**  
**MINORVM** tegente, prouidentia **MAECE-**  
**NATVM** ducente, et, communi omnium plausu  
 comitante, incedent. Videtis hic **ILLVSTRIS-**  
**SIMAM** atque **SPLENDIDISSIMAM** ho-  
 rum omnium praesentiam, commilitones? intel-  
 ligitis, quod summis adhuc viris, quod ipsis **CLE-**  
**MENTISSIMIS DOMINIS**, atque **ALTO-**  
**RIBVS**




RIBVS nostris, curae cordique sint studia ve-  
 stra? et, quidni sentitis, quot stimulos infigant,  
 quot spicula relinquunt, exempla tam gloriosa?  
 Themistocles olim, cum somnum capere non pos-  
 set, Miltiadis se tropaeo suscitari, professus est;  
 quanto nos magis erigi atque incendi decebit, cum  
 hic tot eminentissima, MAXIMORVM in sa-  
 pientiae castris HEROVM, praesentes nos, vt  
 ita loquar, inuitent? Sequamur certatim hanc an-  
 tecedentium cohortem, dignos nos geramus, do-  
 ctrina et moribus nostris, tam honorifica volun-  
 tate, dignos, quos perpetua ILLORVM cle-  
 mentia, aeterna gratia consequatur.

Ita vero habemus etiam cur VESTRAM  
 benignitatem ceteri A. O. O. H. in illustriori loco  
 ponamus; et cur ego figillatim, quem peregrinus  
 iam veneror fauorem, ciuis atque inquilinus VE-  
 STER tuear, augeam, perennem, quod arden-  
 tissimis pro salute VESTRA votis, constantissi-  
 mo deuinctae mentis ardore, curiosissima gratiae  
 voluntatis testificatione, me consecuturum  
 esse, confido.



X 2379884





Q.K.  
515  
36.

ORATIO SOLLEMNIS  
DE  
LAVDABILI IN SCHOLIS  
ATQVE  
GYMNASIIS DOCTORE

II g  
241


QVA  
CONRECTORIS  
IN IELVSTRI RVTHENEO  
MVNVS

CLEMENTISSIME SIBI OBLATVM

PRID. KAL. NOV. A. R. G. c<sup>o</sup> Idcc XXXVII.

AVSPICATVS EST

IO. GOTTFR. HAVPTMANN  
A. M.



LIPSIÆ  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.